





2b. 15





32.  
35  
Quod Deus ter Opt. Max. au-  
spicatò fieri velit

*Serenissimo atq; Potentissimo Electore*  
*Brandenburgico*

Amplissimi Senatus Academici in alma Viadrina

VOTUM

*confirmante*

**ÆGIDIUS BLOTIUS,**

J. U. Doctor,

Institutionum Juris Imperialium Professor

Publicus designatus,

*Cum praelectiones auspicaturus*

**Oratiunculam ex more Acade-**

*miae recepto in Jctorum aroaterio*

*ad diem 22. Aprilis hora 9 matutina*

*pramittere velles,*

*ad audiendam eam.*

*Juventutem legum, artiumq; liberalium studiosam*

*omnesq; ac singulos reipub. literaria cives humaniter*

*invitat.*

Anno partæ per Christum salutis

**M. DC. XXIII.**


FRANCOFURTI MARCHIONUM

*Ex Officina Typographica*

**FRIDERICI HARTMANNI,**

Bibliopolæ.





52  
Nter liberalium arti-  
um & disciplinarum dona ac bona,  
velut Sapien<sup>t</sup>ia<sup>e</sup> Divina<sup>e</sup> rivulos, si nō  
principem, certē non postremum lo-  
cum civilis Sapien<sup>t</sup>ia<sup>e</sup> sibi vendicat. Si  
enim justitia, ad quam, ceu finem,  
collimat, spectetur: Sustinet hęc, non secus ac magnus  
Atlas, humeris suis ingentes illas Imperiorum moles, ut  
firmo & recto stent talo, expellitq; per legitimos trami-  
tes calumniantiū iniquitates. Quā sublatā vix ac ne vix  
quidem exploratū cuiquam esse possit, quid suum, quid  
alienum sit; Quę si non modō oppressa, sed & deserta e-  
rit, nihil est, ut cum oratorū Principe loquar, quod quis  
se habere certum, aut à patre accepturū, aut relicturum  
liberis arbitretur. Et inde sine justitia ne Jovem quidem  
Principatum gerere posse, veterib. fuit persuasum: Inde  
eam fortitudine majorem censuit Agesilaus. Accedit,  
quod reliquarum disciplinarum utilitas in vado nō col-  
locetur, nisi eadem legum, quę justitię præcepta sunt,  
propugnaculis, veluti vallo quodam, sint communitæ.  
Conservatur unicē hoc legum medio atq; remedio ho-  
dieque inter tot & tantos furibundi ac immundi hujus  
mundi furores, inter tot juris osores Caligulas, commu-  
nis illa, quę inter homines naturā intercedit, cognatio;

utut



utut maximè ipsa exili filo nunc temporis pendeat. Quò  
etiam olim respiciens Heracletus magis pro legibus  
quam pro mœnibus pugnandum existimavit : quippe  
ratus his civitatem carere posse, illis non posse. Cujus rei  
veritatem quoque Romana respub. quondam suo sa-  
tis comprobavit exemplo : quæ cum aliquando sine ju-  
re scripto viveret, nã dici non potest, quanto procella-  
rum metu, quanto motu sit conquassata : quàm incerto  
potentum arbitrio & libidine omnia gubernata : donec  
tandem per legatos, Athenas missos, legum norma &  
forma allata fuit & in jus certum reducta, ac redacta.  
Quod si igitur tam principum, quam privatorum res &  
sortes solis justitiæ ac legum munimentis, quæ juris-  
prudentiæ unicè accepta ferenda, factæ rectæ conser-  
vantur : hanc juris artem, hanc rerum divinarum atque  
humanarum scientiam, quis flocci faciendam ? quis non  
ambabus manibus amplexandam putet ? Quemad-  
modum verò, Pomponio si fidem arbitramur, nihil est  
jura in civitate esse, nisi sint, qui ea regere possint : Ita  
non minus in repub. legum scientibus atque peritis  
opus : qui juris apices & articulos egregie discutiant, le-  
gum intimiores sensus indefessâ ac vigili curâ eruant,  
duros & diros nodos atque ænigmata subtili mentis a-  
cumine, tanquam mucrone, resolvant : qui justitiæ  
lance negociorum momenta expendant & causarum



secreta expandant, jusque responsitando suggerant. Quomodo enim quæso ejusmodi sacrarum legum scientiâ illuminari mundus? quomodo ad obediendum Deo, & Principibus, ejus ministris, vita subjectorum informari posset: nisi insimul essent; qui hanc boni & æqui notitiâ profiterentur, æquam ab iniquo separarent, licitum ab illicito distinguerent: juris sacerdotes. Hoc si quis inficias eat, is superiorum seculorum recolat memoriâ, quibus ob barbarorum in Italia dominatum, ad quingentos ferè annos juris professio publica planè obmutuit: donec tandem legum Romanarum nitor Irnerii sive V Verriheri, hominis Germani opera, & opera, atque auctoritate Lotharii Saxonis, in Italia primum reflorescere cœpit, postque Alpes transvolans in Germaniam penetravit. Legisse horret animus, quanta tum temporis dominata barbaries: quanto opere Romana Prudentia, & cum ea liberalia studia, sepulta ac sopita jacuerint; imò, quicquid libuit, licuerit. Cui igitur dubium, hodierno tempore eos per quam laudabile & necessarium reipub. onus ac munus subire, qui in Scholis interpretando juri invigilant, & juventutem, vastissimum juris Oceanum ingredientem, fida manu-dictione ac fide formant & informant, quò rectum cursum teneat; ne vè temerè hinc inde vagando ratem frangat? Certè, si olim Hermodorus Ephesius, leges, qua



quæ à legatis Romanis ex Græciæ civitatibus Romam  
allatæ erant, interpretatus dicitur: quo nomine eidem  
statuam in comitio dicatam fuisse, Plinius memorat:  
quanto magis tam intricata ac spaciola juris volumina  
interpretis indigebunt. quanto magis juvenus, le-  
gum studiosa, Duoctorem, & Doctorem desiderabit: ne  
vasta illa commentariorum Iliade, & numero penè in-  
numero opprimatur vel etiam prematur? Oculorum  
aciem sine pupilla hebetari, sine gubernatore navim pe-  
riclitari, sine auriga currum everti, comperimus. An  
non eandem fortunam, juri animū qui applicat, ducem  
nisi nanciscatur, experiri cogetur? Extat equidem apud  
Xenophontem in Oeconomico præclara sententia, ni-  
hil reperiri aut pulchrius aut ad alium commodius, quam  
ordinem: nihil contra aut aspectu foedius, aut defor-  
mius, aut quod plura omnibus incommoda pariat,  
quam confusionem ac perturbationem. Sed proh quam  
variè hoc in genere peccatum putatur ab his, qui scri-  
ptis hætenus jus civile illustrarunt: dum varia variè  
in alienis locis miscuerunt, & magnam læpè præcepto-  
rum inatriginem reliquerunt: non sicut ac si quis horde-  
um, triticum & legumina in unum acervum conferret,  
& paterfamilias vestem non in vestiario, sed in arca pa-  
naria conderet pisces in nemore, lepores in piscina in-  
clusos, omnia in alieno loco reposta haberet: quemad-  
modum



modum scite quidam ex nostris loquitur. Ne igitur  
talis confusio liberalia ingenia excarnificet, aut juven-  
tutem à studio juris avocet, ut refugiat ac referat pe-  
dem: ideo vel hoc nomine monstratore viæ opus.  
Cæterum in modo interpretandi jura varium vario-  
rum est judicium. Sunt enim, qui practicæ do-  
cendi juris rationi cum Lycæis Italicis: Sunt qui theo-  
ricæ cum Gallicis primas tribuunt. Verum mediam A-  
thenæ Germanicæ hæcenus elegere viam. Neque  
profectò injuria. Quemadmodum enim praxis sine  
prægressa theoria aut omnino non datur, aut si datur,  
incerta manca & stupida est, negocia non nisi erroribus  
& periculosis inconvenientiarum terroribus innecten-  
di apta: Ita quoque econtrariò, nisi cognitionem ju-  
ris usus excipiat, vix est, ut ad perfectionem quis aspira-  
re queat. Et quod de virtutibus verè proditum est,  
præcipuam earundem laudem in actione, non contem-  
platione, consistere: id ipsum & de scientiis, modò eæ  
excipiantur, quæ adeò contemplatione nituntur, ut a-  
ctionis penitus sint expertes: & vel maximè de hac dis-  
ciplina jure prædicatur. Natura perfecta esse haut  
dicitur, nisi suum, quem intendit & attendit, ad apta  
finem. At nec pro civili prudentia venditari potest,  
quæ tota in cognoscendo, cognoscendoque, non et-  
jam agendo versetur & occupetur. Optimè igitur  
jurium



jurium interpreti convenit id auditoribus suis, quod in  
ipsis rerum obtinet argumentis, proponere, practi-  
camque, quæ vera legum intellectrix perhibetur, par-  
cè subnectere: quo illi studia sua cum tempore matura  
ex umbra in solem, solumque publicum educere, le-  
ges, quas in scholis diglutiunt, in foro ac palatiis dige-  
rere aliquando possint, & non minus ac Pythius ille A-  
pollo, de quo est apud Ennium, clientes ac consulto-  
res suos, suarum rerum jam ante incertos, ope & ope-  
ra sua, ex ante incertis certos compotesque consilii, à se  
dimittere nòrint.

Cum igitur à Serenissimo  
atque Potentissimo Electore Brandenburgico, Domi-  
no nostro Clementissimo, & Amplissimo Senatu Aca-  
demico & mihi commissa atque demandata sit publica  
Institutionum Juris Imperialium enarratio, & exedra:  
Equidem meo modulo dum me metior, multa,  
quæ promittam, non habeo: sudabo tamen, Bono  
cum D E O, ut concinna, qualicet brevitate, vel poti-  
us, qua convenit, necessitate, elementorum juris tex-  
tum ejusque decisiones explanare, veras rationes &  
concordantes textus adducendo, inductiones ad simi-  
lia, vel etiam quæstiones, ibidem tractari solitas, par-  
cè attingendo, ad exemplum Epicharmi non tam  
*νομψα* quam *χρήσιμα* & ad fori usum accommoda  
auditoribus tradere queam. Faciam autem initium  
præ.



prælectionum ad proximum diem Jovis hora 7<sup>a</sup> matu-  
tina ; Idque à tit. de testamentis ordinandis : quan-  
do quidem ita ordini juridico certas ob causas placuit.  
Interea ne rem illotis, quod ajunt, manibus aggrediar,  
pro more hujus Academiæ brevem orationem ad pro-  
ximum diem Martis hora nona matutina juvante DEO  
in Jure Consulorum acroaterio habebō : ad quam au-  
diendam ut convenient, studiosam legum juventu-  
tem, omnesq; ac singulos reipub. literariæ cives  
officiosè invito. B. V.



*Ja 666*

ULB Halle 3  
002 177 021



*5b-700*

*V017*

*MC*











Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

32.  
35

Opt. Max. au-  
eri velit  
tentissimo Electore  
burgico  
demici in alma Viadrina  
TUM  
ante  
**BLOTIUS,**  
Doctor,  
nperialium Professor  
designatus,  
es auspicatorius  
ex more Acade-  
ctorum acroaterio  
s hora 9 matutina  
ere velles,  
adam eam  
umq; liberalium studiosam  
b. literaria cives humaniter  
nitat.  
r Christum salutis  
**XXIII.**  
I MARCHIONUM  
Typographica  
**HARTMANNI,**  
iopola.